INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XVII. APRILIS ANNI MDCCCLXXXIV.

HABENDARUM.

PRAECEDIT **DR. HUGONIS WEISS** COMMENTATIO: QUOMODO DEUS POPULUM ISRAELITICUM IN AEGYPTO EDUCAVERIT.

BRUNSBERGAE, 1884.
TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. FRANCISCUS DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Quomodo Deus populum Israeliticum in Aegypto educaverit.

Israelitarum historiam perscrutantes haud raro vias ac vestigia divinae providentiae sincere admirati sumus. Immo tota illa historia aenigma quoddam obscurum est ei, qui coelestis illius regiminis non satis ratione habita res a „populo electo“ gestas imprimisque ejus fidem, mores, ritus, similia indagare susceperit.[1]) Nullo autem temporis spatio cura Dei in educando ac regendo populo suo clarius apparuit, quam quattuor saeculis servitutis quae dicitur Aegyptiacae. Quapropter hac scribendi occasione data vos, commilitones humanissimi, ad Josephi et Mosis aequales perducam, ut laeti mecum celebretis summam sapientiam Dei omnipotentis, cujus „in manibus sunt corda hominum sicut divisiones aquarum: quocumque voluerit, inclinabit illa (Prov. 21, 1).“

I. De familiari Aegyptiorum cum Israelitis commercio.

Jacobi patriarchae familia, quacum permulti servi servaeque iter faciebant[2]), tempore peropportuno in Aegyptum immigravit. Adhuc enim in superiori et inferiori Aegypto dominabantur Hyksos i. e. „reges pastores“[3]), qui ante quinque saecula, relictis pascuis in Arabia et Syria sitis, rerum in Aegypto

---

[1]) Reusch in Chilianeo 1869, tom. II, p. 417 sqq.

[2]) Ex Gen. 46, 27 plurimi interpretes conjiciunt, septuaginta tantum Israelitas una cum Jacobo Aegyptum ingressos esse. Cf. Keil, Comment. in Gen. I, p. 402 sq. — Istis vero septuaginta patribus familiarum, stirpium, gentium non solum ipsorum uxores filiaeque annumerandae sunt (Gen. 46, 26) sed etiam haud parva famulorum famularumque caterva; jam enim multos ante annos Abrahamus cum trecentis et octodecim servis „vernaculis“ reges Babylonicos persecutus erat (Gen. 14, 14). Cf. Schaefer, Bibel und Wissenschaft, p. 99.

[3]) Flavius Josephus contra Apion. I, 14: *ἐκαλεῖτο δὲ τὸ σύμπαν αὐτῶν ἔθνος ῾ΥΚΣΩΣ, τοῦτο δέ ἐστι „βασιλεῖς ποιμένες“. τὸ γὰρ ῾ΥΚ καθ᾽ ἱερὰν γλῶσσαν βασιλέα σημαίνει, τὸ δὲ ΣΩΣ ποιμήν ἐστι καὶ ποιμένες κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον.* — Recentiores grammatici posteriorem vocis Hyksos partem ad *Schasu* i. e. gentes orientales latrociniis assuetas referendam esse contendunt. Cf. Riehm, Handwoerterbuch des bibl. Alterthums, p. 330.

potiti erant[4]) et prioris vitae ac consuetudinis suae amorem adeo sibi servaverant, ut quo magis Aegyptii indigenae detestarentur omnes pastores ovium, eo libentius advenas Israeliticos vitae ratione sibi quodammodo cognatos in regno suo reciperent (Gen. 46, 34). — Quam praeter singularem civitatis Aegyptiacae conditionem Israelitis immigrantibus tum temporis magnam utilitatem id afferebat, quod Josephus, Jacobi patriarchae filius, quum multum gratia apud Pharaonem valeret tum in avertenda fame, omnes incolas premente, optime de toto regno meritus erat ideoque eadem auctoritate atque potestate excellebat, quam Una, Mentuhotep, Amenhotep alios Pharaonum ministros obtinuisse perantiqua monumenta Aegyptiaca clare docent.[5]) Josephi igitur consilio et copiis adjuti advenae perfacile summa fortuna uti poterant.

Sicut autem ex ratione temporum ita etiam ex natura ac situ novi domicilii, fratribus Josephi a Pharaone liberaliter assignati, coloni uberem fructum percipiebant. Gosen enim pagus, a Phacusa *(Pha : Kos)* denominatus et finibus suis figuram trianguli paribus fere lateribus efficiens ab On urbe, quam Graeci „Heliopolis“ postea nominabant, septentrionem versus usque ad mare mediterraneum (trianguli basin) sese extendebat. Cujus latae regionis finis occidentalis ea Nili fluminis pars erat, quae Tanin urbem praeterfluebat, quum orientem versus primum quae hodie dicitur Wadi (i. e. vallis) Tumilat, et antiquissimis et nostris temporibus canalibus celeberrimis concisa[6]), tum autem (a Timsah lacu usque ad mare mediterraneum) complures lacus paludesque inviae pagum limitarent. — Vix dubitari potest, quin in ista Aegypti inferioris parte Josephus patrem suum ex Palaestina descendentem reverenter salutaverit et „inter amplexus fleverit (Gen. 46, 29).“ Istic aptissime immigrantium agmen consistebat, dum quinque legati, cum Josepho ad Pharaonem missi, de futuris supplicantium sedibus responsum tulissent (l. c. 47, 1 sqq.). Ex ista provincia, quippe quae regiones meridionales Palaestinae attingeret, advenae in patriam suam commodissime redire poterant, id quod jam breve post tempus futurum esse permulti certe sperabant (l. c. 45, 11; 47, 4).[7]) Neque silentio praetereundum est, plurimarum urbium in Ex. 1 sqq. nominatarum ruinas in ea ipsa Aegypti parte, ubi nostra quidem opinione Gosen pagus situs erat, a viris doctis nuper repertas esse.[8]) — Atque ita in „optimo illo loco“ Aegypti (Gen. 47, 6), qua laude Shurkiyeh provincia ibidem sita etiamnunc videtur digna esse,[9])

---

[4]) III Reg. 6, 1 memoriae traditur Salomonem prima templi sui fundamenta jecisse quadringentis octoginta annis post secessionem Israelitarum ex Aegypto factam. Salomo autem domum Dei aedificare coepit anno 1015 a. Chr. n. Cf. Oppert, Salomon et ses successeurs, p. 90 sq. Ergo Moses circa annum 1495 populum suum liberavit, cui si quadringentos annos, per quos Israelitae in Aegypto habitabant (cf. not. 27), annumeraveris, jam habes tempora exeuntia regum alienigenarum (Hyksos), quorum ultimus Apophis fuisse fertur. Cf. Brugsch, Geschichte Aegyptens unter den Pharaonen p. 768; Haneberg, Offenbarung p. 68, ed. IV.

[5]) Cf. Brugsch, l. c. p. 95, 133, 403. Josephus proxime accessit ad similitudinem dignitatis Mentuhotep praefecti, regnante Usurtasen I Aegyptum administrantis. Qui teste elogio sepulcrali antiquo, Bulaqii hucusque asservato, erat „legislator neque non officiorum et laborum publicorum mandator . . . qui edicta sua proponebat terrae meridionali et tributum indicebat terrae septentrionali ... quem appropinquantem primores terrae venerabantur (Cf. Gen. 41, 43) etc.“ — Quod de inopia illa ac fame S. Scriptura enarrat (Gen. 41, 53 sqq.), optime illustratur inscriptione prope El Kab urbem Aegyptiacam nuper inventa, in qua miles quidam aequalis Josepho civibus suis per multos annos fame laborantibus frumentum se distribuisse fusius gloriatur. L. c. p. 245 sq.

[6]) Ebers, Durch Gosen zum Sinai p. 73 sq., 488 sqq.

[7]) In interpretanda Genesi 47, 4 neque *gûr* neque *ʿattah* voces hebraicae negligentia praetereundae sunt, quum ex utraque colligere liceat Israelitas ex refugio suo Aegyptiaco brevi temporis spatio interjecto in Palaestinam redire voluisse. Cf. Keil. l. c. p. 284.

[8]) Cf. Scholz, Die Aegyptologie und die Buecher Mosis, p. 112. 130.

[9]) Robinson, Palaestina und die südlich angrenzenden Laender I, p. 86 sq.

Israelitae greges suos aliasque possessiones celeriter augere et vitam felicem curisque externis vacuam agere poterant.

Neque defuit Israelitis in terra modo occupata occasio varias ingenii facultates excolendi. Tantum enim aberat, ut Hyksos totam Aegyptum radicitus devastarent, urbes templaque deorum incenderent, alia facinora crudelissima a Manethone enumerata[10]) committerent, ut omnium fere artium et disciplinarum quibus antea Aegyptus floruerat cultum perpetuo foverent atque adjuvarent. Immo ne oblivioni daretur, quot quantaque monumenta artificiosa ad ipsorum nutum et voluntatem exstructa essent, victores Semitici jubebant[11]) artifices statuis, simulacris, aliis monumentis Semiticas formas ac proprietates insculpere. Praeterea diis in regni sui capite et arce templa aedificabant magnificentissima, quae indigenarum aeque ac alienigenarum admirationem movebant.[12]) Minime denique Hyksos sacerdotibus Aegyptiacis, sapientia ac doctrina clarissimis, inimici erant, sed in dubitatione versantes „ad omnes conjectores cunctosque sapientes mittebant (Gen. 41, 8. Vulg.)“ [13]); et omnino saluti publicae tantopere consulebant, ut multis annis post restitutionem imperii Pharaonum Thebaicorum haud pauci Aegyptii indigenae grata memoria tempora „regum pastorum“ prosequerentur.[14]) — Num autem fieri potuit, ut Israelitae, praestantissimo ingenio praediti, monumenta illa pulcherrima quotidie frustra aspicerent, non incensi desiderio Aegyptios imitandi in ejusmodi operibus exaedificandis? Nonne convenientes cum sacerdotibus Aegyptiacis, Heliopoli aliisque in urbibus Aegypti inferioris habitantibus (Gen. 41, 50; cf. l. c. 41, 8. 24) Israelitae scientiam ac doctrinam illorum ad se vindicare et in usum suum convertere debebant? Ergo pro certo habendum est, familiam Jacobi patriarchae jam primis post immigrationem temporibus non solum quod ad ipsius numerum et bona attinet aliquanto crevisse, sed etiam animum suum ac mentem in dies excolere coepisse.

II. De jugo servitutis Israelitis imposito.

Fortuna secunda Israelitis in terra Pharaonum non perdiu affulgebat. Quemadmodum enim Deus singulis hominibus, ad perpetranda magna opera divinitus destinatis, post paucos dies felices ut illos probet calamitates afferre solet[15]), sic etiam populi Israelitici fortunam suo tempore penitus immutavit, ne lucro majus fieret damnum, ex amicitia Pharaonum facile exoriens. Neminem enim effugere potest, Israelitas tunc in summo periculo versatos esse, ne cum Aegyptiis ipsis amicissimis in populi unius corpus coalescerent et instituta sua a patriarchis accepta moresque suos simplices paullatim perderent. Quapropter haud ita multo post immigrationem mutatio illa fieret oportuit.

Mortuo Josepho et reposito, septuaginta circiter annis postquam Israelitae domicilium suum in

---

10) Cf. Flav. Jos. contr. Apion. I, 14: *Τὰς πόλεις*, inquit Manetho, *ὠμῶς ἐνέπρησαν καὶ τὰ ἱερὰ τῶν θεῶν κατέσκαψαν· πᾶσι δὲ τοῖς ἐπιχωρίοις ἐχθρότατά πως ἐχρήσαντο, τοὺς μὲν σφάζοντες, τῶν δὲ καὶ τὰ τέκνα καὶ γυναῖκας εἰς δουλείαν ἄγοντες ... πολεμοῦντες ἀεὶ καὶ ποθοῦντες μᾶλλον τῆς Αἰγύπτου ἐξᾶραι τὴν ῥίζαν.*

11) Mariette in Ebers, Aegypten und die Buecher Mose's I, p. 208.

12) Papyrus Sallier I ap. Brugsch, l. c. p. 223.

13) Qui in Gen. 41, 8. 24 *Chartummim* (LXX: ἐξηγηταί, S. Hieron.: conjectores) appellantur consiliarii Pharaonis sine dubio sunt sacerdotes seu ἱερογραμματεῖς (*cheret* = stilus). Cf. Gesenius, Handwoerterbuch s. h. v. Edit. IX.

14) Brugsch, l. c. p. 238 sqq. Hoc imprimis notatu dignum est, quod permulti Aegyptii non solum deorum Semiticorum, sed etiam regum illorum nomina — v. gr. Apopa seu Apopi — sibi asserebant.

15) Weiss, David und seine Zeit, p. 66 sqq.

Aegypto inferiori collocaverant[16]), Ahmesio, principi Thebaico, auctori domus regnatricis duodevicesimae contigit, ut seditionem contra tyrannos externos (Hyksos) commoveret eorumque potentiam infringeret. Diu atque acriter imprimis prope Avarim — Pelusium dimicatum est, castellum Aegyptum inter et Palaestinam positum, unde „reges pastores“ ab hostibus circumvallatos in pristinam patriam Asiaticam fide publica interposita a victoribus dimissos esse verisimillimum est.[17]) Eodem autem tempore, quo Hyksos, fautores omnium advenarum Semiticorum, imperio expellebantur, Israelitae in deteriorem statum delaberentur necesse erat. Quo majorem benevolentiam dominatores Semitici familiae Jacobi praestiterant, eo magis sine dubio illorum successores Aegyptiaci Israelitis diffidebant, quam rerum commutationem Josephus ultimorum Pharaonum Semiticorum minister perspicax praevidisse videtur, quum moribundus fratribus suis futura praediceret his verbis: „Post mortem meam Deus visitabit vos[18]) et ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham, Isaac et Jacob ... Deus visitabit vos; asportate ossa mea vobiscum de loco isto (Gen. 50, 23 sq.).“ — Attamen Ahmes et qui regno succedebant Amenhotep I, Thutmes I et II animum suum omnibus Semitis infensum atque hostilem manifestare haesitabant, dum civitatis recuperatae fines contra incursiones hostium modo propulsatorum satis munivissent et gentes Nubicas, quae regnantibus „pastoribus“ jugo se exuerant, in ditionem suam redegissent.[19]) Quum autem Thutmes III, omnium Pharaonum illustrium facile princeps, quattuordecim bellis contra gentes Asiae occidentalis feliciter gestis, potentiam hostium potentissimorum fregisset ideoque a belli laboribus liber solutusque animum suum ad interiorem reipublicae conditionem advertere posset, incolae Israelitici Gosen pagi acerbiorem oppressionem passi sunt. Inter permultos illos servos Semiticos, qui, picturis perantiquis testibus, verberibus custodum suorum stimulati in omnibus regni Thutmesii III partibus laterculos ex argilla lutove formare variaque opera publica aedificare cogebantur[20]), procul dubio ii (i. e. Israelitae) non defuerunt, quibus Pharao „praeposuit magistros operum, ut affligerent eos oneribus ... atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris omnique famulatu, quo in terrae operibus premebantur.“ Ex. 1, 11. 14. — Tum jugum gravissimum atque iniquissimum Israelitis imposuerunt Seti I et Ramses II, auctores undevicesimae domus regnatricis, quos revera Mosi aequales fuisse ex ipsorum virtutibus et vitiis optimo jure colligitur. Vix enim, quod primum ad virtutes attinet, tota in historia Aegyptiaca reperies aetatem aetate Sesostris Magni[21]) clariorem variis pacis et belli artibus. Isto ipso tempore omnes bonarum rerum disciplinae maxime florebant et cives mercaturam faciebant copiosam. Tunc v. gr. una cum innumerabilibus monumentis exstructum est admirabile illud templum Karnakense, centum triginta quattuor columnis altissimis pulcherrimisque fultum, quod a docto quodam viro[22]) his fere verbis nuper descriptum est: „Cujus, inquit, ingentis porticus ruinae, quamvis per multa saecula naturae et hominum

---

[16]) In Gen. 41, 46 Josephus adolescens triginta annorum eo temporis momento fuisse fertur, quo a Pharaone ad amplissimos honores promovebatur. Quo cum S. Scripturae loco conferendum est quod in Gen. 45, 2. 28 et l. c. 50, 25 traditur de demigratione Jacobi patriarchae (decem annis post ascensionem Josephi facta) et de obitu Josephi, qui „centum decem vitae suae annos explevit.“ Unde sequitur, Israelitas per septuaginta circiter annos benevolentia Pharaonum gavisos esse. Cf. Röckerath, Bibl. Chronologie, p. 53.

[17]) Duncker, Geschichte des Alterthums I, p. 98 sqq. Ed. IV.

[18]) Vocis Hebr. *paqad* (i. e. visitare) significatio principalis est „flagellis caedere“, „punire!“ Cf. Fürst s. h. v.

[19]) Brugsch, l. c. p. 256. 262. 276.

[20]) Wiedemann, Geschichte der XVIII. aegypt. Dynastie in ZDMG, XXXII p. 134 sqq.

[21]) Cf. Maspero, Geschichte der morgenlaend. Voelker p. 223. „Sesostris“, quo nomine scriptores Graeci saepius utuntur ad imperium Setii I et Ramsis II, simul per aliquot annos regnantium, significandum, ex „Sestu — ra“ vel „Sessu — ra“, cognomine populari Ramsis II, videtur formatum esse.

[22]) Kayser, Eine Nilfahrt p. 75.

viribus dirutae ac disjectae sint, adhuc sunt amplissima atque excelsissima monumenta lapidea totius terrae ... obstupefactus unusquisque perambulat opera ista tempore ut ita dicam Giganteo enata, quibuscum comparata maxima Graecorum et Romanorum opera minutissima sunt." — Inter praeclaras res bello tum temporis gestas victoria Ramsis II de Chetitis aliisque gentibus fortissimis apud Kadesch urbem reportata eminet. Solius enim Pharaonis fortitudine factum est, ut victoria, postquam diu anceps steterat pugna, ad Aegyptios transferretur, quod facinus quum a permultis poetis, statuarum artificibus, pictoribus illico illustratum tum perillustri carmine heroico a Pentauro poeta celebratum est[23]).

Quae tamen virtutes haud exiguis utriusque Pharaonis vitiis valde obscuratae sunt; nam multa monumenta testificantur nullum regem Aegyptiacum fuisse crudeliorem et gloriae laudisque avidiorem quam Seti I et Ramsen II. — Seti summum gaudium percipiebat ex aspectu sanguinis et oculos suos pascebat in capitibus hostium detruncatis[24]). Ramses II. autem non minus superbus ac gloriosus erat quam fortis ac prudens. Parietes templi Abydensis literis hieroglyphicis inscriptae dilucidum praebent exemplum jactationis intolerabilis et blanditiarum servilium. Huc accedit, quod Ramses ne parentibus quidem habebat reverentiam. Templum enim, quod ad memoriam patris sui propagandam aedificare coeperat, ingrato animo imperfectum reliquit; neque puduit eum, ex nonnullis monumentis patris sui nomen exsculpere et loco illius suum inscribere nomen, id quod prioribus temporibus Pharaones Aegyptiaci ad delendam „regum pastorum" memoriam fecerant[25]). Haec autem promerita et delicta erant ejus Pharaonis propria, de quo S. Scriptura narrat (Ex. 1, 8), „surrexisse novum regem super Aegyptum", Josephi patriarchae ejusque meritorum immemorem, — ut aliis verbis utar: Seti I et Ramses II sine ullo dubio recte nominantur „Pharaones oppressionis[26])." Jam nostrum est, quid detrimenti quidve commodi res Hebraeorum ex illorum imperio violento acceperint, paucis demonstrare.

Quadringentorum annorum spatio (i. e. a diebus immigrationis in Aegyptum usque ad Setii I et Ramsis II tempora)[27]) numerus incolarum Gosen pagi adeo creverat, ut Aegyptii summo timore afficerentur. Populus Pharaonis vix major esse videbatur quam advenarum Palaestinensium multitudo ingens (Ex. 1, 9). Imprimis autem duces exercitus Aegyptiaci timebant, ne Israelitae, si quando cum gentibus Aegypto finitimis bellum exortum fuerit, in partes hostium transirent et regnum a copiis vacuum devastarent (Ex. l. c. v. 10). Neque sine causa viri illi militares patriae suae gravia bella tum temporis imminere suspicabantur. Aliis enim cum hostibus fortissimis nomades deserti Arabici, „Schasu"

---

23) Le Page Renouf, Vorlesungen über Ursprung und Entwickelung der Religion der alten Aegypter p. 55.

24) Brugsch, l. c. p. 461. 478 sqq.

25) Ebers, Aegypten p. 213.

26) Riehm, l. c. p. 333.

27) Genealogiam Mosis in Ex. 6, 16 sqq. traditam non recte perspicientes LXX interpretes Ex. 12, 40 locum his verbis verterunt: *ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν* (Cod. Alex. *αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν*) *ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν ἔτη τετρακόσια τριάκοντα,* quamquam in textu Hebraico neque patriarcharum neque „terrae Canaan" mentio fit. — Verisimillimum est interpretes Alexandrinos, quum in Ex. 6, 16 sqq. inter Levi, Jacobi filium, et Mosen tres tantum generationes enumeratas viderent, exilio Aegyptiaco non plus quam ducentos annos ascribere voluisse. Cui vero interpretationi non solum textus Hebraicus in Ex. 12, 40 sed etiam oraculum quoddam divinum, Abrahami semini servitutem quadringentorum annorum praenuncians (Gen. 15, 13) repugnat. Accedit quod I Chron. 7, 20 sqq. Josephum inter et Josuam (Mosi aequalem) decem generationes fuisse narratur. Ergo vix dubitandum est, quin Israelitae per quattuor saecula in Aegypto habitaverint. Cf. Keil, Comment. in Pent. I, p. 404; Haneberg, l. c. p. 91. — In Ex. 6, 16 sqq. complures generationes praetermissas esse arbitramur, — id quod saepius in genealogiis S. Scripturae occurrit. Cf. Esr. 7, 3 et Chron. 5, 33 sqq. Nihilominus Eusebius (in Chron. Can.) et Judaei (in Targ. Hierosol.) versionem Alexandrinam secuti tempori „peregrinationis" in Aegypto ducentos quindecim tantum annos perperam vindicarunt. Cf. Hieron. opp. ed. Migne, tom. VIII, p. 120. 153.

nominati, acriori incursu quam antea tunc Aegyptum impugnare conati sunt[28]. — quae gens bella fere continua adversus Pharaones gesserat inde ex eo tempore quo Hyksos, plurimorum nomadum orientalium proavi, splendidissimum imperium Aegypti per quingentos annos (cf. p. 3) obtinuerant. Praeterea Chittaei (Aegypt. *Cheta*), qui jam tempore patriarcharum magnam Palaestinae partem obsidebant (Gen. 26, 34; 37, 46; Jud. 1, 26), paullatim tantam potentiam consecuti erant atque principatum suum inter omnes gentes Palestinenses hisque finitimas adeo confirmaverant (Ex. 13, 5; Jos. 1, 4; 3, 10; Jud. 3, 5)[29], ut imperium Aegyptiorum, post victorias Thutmesii III istis in regionibus Asiae occidentalis nondum concussum, sub initia regni Ramsis II admodum labefieri videretur.

Qua in conditione iniqua versantes Pharaones evidens signum prudentiae suae ac circumspectionis dederunt. Relictis enim meridionalibus Aegypti urbibus, omnium rerum abundantia refertis, in septentrionales regiones, quibus maximum imminebat periculum, profecti Zoan-Tanin, quae urbs antiquissima[30] abhinc temporibus „regum pastorum" paene collapsa et deserta erat, caput et arcem regni sui elegerunt[31]. Celeriter istinc exercitus ad orientales Aegypti fines, acerrimis hostium incursionibus expositos, mitti poterat; incolae Semitici autem, quorum sedes non longe aberant, perfacile custodiendi atque domandi erant. — Itaque non mirabile erat, quod ea aetate in Israelitas summa severitas ac saevitia exercebatur. Qui multo sudore et labore, uti S. Scriptura memoriae prodit (Ex. 1, 11), non solum Etham seu Pithom[32], firmissimum munitionum Aegyptiacarum orientem versus sitarum propugnaculum, sed etiam Ramsen seu Tanin, ipsum regni caput[33] aedificabant. Quin immo Israelitas nervos suos contendisse verisimile est in effodienda illa longissima fossa, quam ut Nilum cum mari rubro conjungerent, Pharaones tunc ducere coeperant[34]. Inter captivos autem, qui candente ferro signati in viis et aedificationibus publicis, in lapicidinis et metallis aerariis laborasse feruntur, etiam Hebraei seu Apriu (Papyri Leidensis I. 348. 349)[35] saepius enumerantur. Et mirum certo fuisset, si qui cognominatur „architectus regius" Ramses II[36], cujus nomen omnibus fere ruinis Aegyptiacis et Nubicis inscriptum est, populi illius dictioni suae subjecti viribus in imperio suo exornando non usus ne dicam abusus esset.

Apertum est autem Israelitas, liberalissime olim tractatos, permagna Pharaonum superbia et asperitate paullatim ad desperationem adductos fuisse, praesertim postquam non solum notissimae Hebraeorum obstetrices sed etiam indigenae Aegyptiaci jussi erant, omnes sexus virilis infantes in lucem

---

28) Proelia illa, ab Aegyptiis Pharaone Seti I duce commissa, in pariete septentrionali templi Karnakensis depicta sunt. Cf. Maspero, l. c. p. 213.

29) Index lect. Lyc. Hos. 1880: De antiquissimis Palaestinae incolis, p. 14.

30) Cf. Num. 13, 23: „Hebron septem annis ante Tanim urbem Aegypti condita est."

31) Ebers, Durch Gosen p. 79 sq.

32) Chabas, Voyage d'un Egyptien p. 268, Etham et Pithom unius loci nomina esse primus judicavit, cui sententiae nosquidem assentimur, praesertim quum P in nomine Pithom articulus Aegyptiacus videatur esse. Cf. Uhlemann, Ling. copt. grammat. § 13. Neque omittendum est, Pithom urbem, Ex. 1, 11 una cum Ramses, capite regni, commemoratam ceteris Aegypti inferioris urbibus quodammodo excelluisse, quem principatum Etham urbs, porta illa omnium exercituum Aegyptiacorum et erumpentium in fines hostium et in patriam redeuntium — Ebers, Aegypten p. 81 — certo obtinebat.

33) Non Ramses-Maschuta (in valle Tumilat sita), sed Tanis ea urbs erat, in qua Israelitae domum regiam aliaque aedificia publica exstruere cogebantur. De situ istius „urbis tabernaculorum Ramses (Vulg.)" jam non dubitare licet, postquam planus ille campus ruinis ingentibus plenus, qui ripas Nili prope Tanin attingit, accuratius a doctis nostri temporis viris exploratus est. Cf. Scholz, Aegyptologie p. 114 sq.

34) Herod. II, 102; Plin. VI, 29. 165.

35) Rohling, Lit. Rundschau 1878, p. 314 aliique interpretes Apriu illos pro Hebraeis (*'Ibrim*) habere adhuc dubitant. Nosquidem probavimus sententiam Scholzii, l. c. p. 89 sq.

36) Mariette, Histoire d'Egypte p. 60 sq. in Maspero, l. c. p. 224 sq.

modo editos aut illico necare aut in Nilum projicere (Ex. 1, 15 sq.; 22). Quo edicto cruento Ramses ipsum se typum fecit tyranni illius crudelis, qui quindecim post saecula auctorem Novi Foederis caede infantium Bethlehemiticorum perdere conatus est (Mt. 2, 16).

Restat ut variorum casuum, quibus Israelitae in Aegypto jactabantur, eventum et imprimis diuturnae oppressionis exitum breviter illustremus.

Primum quod ad consilium Pharaonis attinet numerum Israelitarum inclementer minuendi, Aegyptii experientia edocti breve post tempus sciebant, gentem illam vexatam eo magis accrevisse, quo crudeliora regum edicta edita essent (Ex. 1, 12. 20). Velut Schiphra et Phua obstetrices, timore Dei omnipotentis impletae infantibus Israeliticis parcebant (Ex. l. c. v. 17),[37]) ita etiam Aegyptii rarissime tantum filiis Israelitarum vim attulisse videntur eodem fortasse mirabili afflatu divino capti, quo haud ita multo post ut Israelitis emigrantibus aurea et argentea vasa aliaque dona pretiosa tribuerent permoti sunt (Ex. 12, 35 sq.). Quapropter „sexcenta fere millia peditum virorum absque parvulis de Ramesse in Socoth (Ex. 12, 37)“ profecti sunt.

Tum metuendum erat, ne Israelitae, quippe qui perdiu conjunctissime cum Aegyptiis vixissent, religionem suam a patriarchis traditam mutarent seu omnino perderent, quod periculum eapropter permagnum erat, quod et simplicioribus Israelitis splendor atque apta dispositio dierum sollemnium Aegyptiacorum arridere debebat[38]), et Israelitas in religione Aegyptiaca magis eruditos similitudo quaedam, inter ambarum gentium res divinas passim exsistens[39]), ad defectionem ab ipsorum sacris adducere poterat. — At mirabiliter eo ipso tempore patefactum est consilium, quod Deus sapientissimus in populo suo castigando adhuc habuerat. Aegyptiorum enim superbia et crudelitate persaepe violati Israelitae ab omnibus vexatorum suorum illecebris quamvis jucundissimis vultum omnino averterent necesse erat. Unumquemque certissime puduit dominorum suorum bona bonis suae ipsius gentis anteponere, et poetae illud „Timeo Danaos et dona ferentes“ jam tunc a populo oppresso adeo observatum est, ut neque alieni quidquam religioni revelatae adderetur neque insigniora dogmata oblivioni darentur[40]).

Deinde Israelitis minime detrimento erat, quod ab Aegyptiis ad permulta negotia gerenda adigebantur. Ingenii enim facultatibus haud mediocribus praediti illi breve post tempus omnium operum peritissimi fiebant: una cum gloria et divitiis Pharaonum Israelitarum quoque virtus et scientia, experientia atque usus multarum rerum crescebant. Notum est, Aegyptios v. gr. agriculturae industrie studuisse (Gen. 46, 34)[41]). Eodem igitur negotio perdiu occupati et acerrimorum magistrorum curae custodiaeque mandati Israelitae in agro colendo adeo proficiebant, ut posterioribus saeculis ex vallibus montibusque Palaestinae, patriae suae parvae atque angustae, uberrimas fruges, quae ad innumerabilem fere multitudinem hominum alendam sufficiebant (Cf. II Sam. 24, 9; I. Chron. 21, 5), exarare possent. — Praeterea servi Israelitici oppida munitionibus firmare penitus discebant, unde patriam postea

---

[37]) Ex. 1, 17 obstetrices timuisse dicuntur *haelohim* i. e. Deum unum et verum. Cf. Gesenius l. c. s. h. v. Ergo Schiphra et Phua non Aegyptiis sed Hebraeis annumerandae sunt.

[38]) Uhlemann, Aegypt. Alterthumskunde II, p. 196 sqq.

[39]) Mannheimer, Mosaismus und Aegypterthum p. 1 sqq., contra Hellwaldum, Culturgeschichte und Juden p. 283, recte demonstravit, similitudinem inter res divinas Aegyptiorum et Israelitarum mere externam fuisse. Attamen vix dubitandum est, quin Aegyptii nonnulla dogmata gravissima, hominibus a Deo antiquitus revelata, aeque ac Israelitae aliaeque gentes usque ad Mosis tempora servaverint. Cf. E. de Rougé in Le Page Renouf, Vorlesungen p. 85.

[40]) In Jos. 24, 14 — cf. Ez. 20, 6 sqq.; 23, 3. 9 — Israelitae jubentur auferre „deos, quibus servierunt patres ... in Aegypto.“ Quare illos tunc non ad unum omnes in religione sua vera perseverasse concedendum est. Cf. Scholz, Götzendienst u. Zauberwesen bei den alten Hebraeern, p. 106.

[41]) Instrumenta agrorum a sacerdotibus Aegyptiacis sanctissima habebantur. Brugsch, l. c. p. 20.

recuperatam optime tueri poterant contra repentinas gentium finitimarum incursiones (Cf. Jud. 8, 9. 17). Denique Aegyptii vix ulla in parte civitatis suae tantam mercaturam tantumque quaestum faciebant quam in pagis septentrionem versus sitis, quo Phoenices, celeberrimi temporum illorum mercatores, multos colonos deduxerant[12]). Quare fieri non potuit, quin Israelitae in ista quoque arte colenda facultatem quandam atque exercitationem consequerentur. (Cf. I. Reg. 9, 26 sqq.; II Chron. 8. 17 sq.; I Reg. 10, 22; II Chron. 9, 21). — Itaque Aegyptus optimo jure nominatur „schola" quamvis dura et molesta, cujus ex institutione ac disciplina Israelitas castigatos eorumque posteros maximam utilitatem percepisse apparet[13]).

Attamen luci ex servitute Aegyptiaca effulgenti non deerat umbra periculosa. Homines enim quo diutius flagellis dominatorum suorum caeduntur, eo magis dignitatis suae atque honestatis conscientiam amittere et animum servilem atque imbecillum induere solent. Qui dummodo „carnem et panem" habeant (Cf. Ex. 16, 3), turpissimo servitio paullatim assuescunt (Ex. 5, 21; 14, 12) et cohortationes divinas contemnunt (Ex. 6, 9. 12). — Quum vero non solorum Aegyptiorum causa, sed ut omnibus totius mundi gentibus summa bona tradere et tuto servare possent Israelitae in scholam Aegyptiacam deducti essent, legatus quidam, ab ipso Deo et in domo regia et in deserto diligenter educatus, suo tempore missus est, qui populum suum in exsilio optime praeparatum congregaret et in terram antiquitus ei promissam (Gen. 12, 7) reduceret.

Sed haec hactenus. Cetera quae de vita legati illius i. e. Mosis et de populo ab eo commoto, edocto, liberato S. Scriptura enarrat alio in libello vobis, commilitones, explicare fusiusque exponere mihi in animo est.

---

12) Movers, Die Phoenizier II, 2, p. 178 sqq.
13) Haneberg, l. c. p. 73.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Theologiae moralis partem specialem, adjunctis repetitionibus et disputationibus, tradet sexies per hebd. hora XI.
II. Vitam et scripta apologetarum ecclesiae primaevae enarrare perget hor. def.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

I. Theologiae pastoralis partem alteram docebit sexies per hebd. hora VIII.
II. Eloquentiae sacrae praecepta tradet diebus Lunae et Jovis hora VII.
III. S. Augustini libros de civitate Dei interpretabitur horis definiendis.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quater per hebd. hora IX.
II. Repetitiones de historia ecclesiastica instituet semel per hebd. hora def.
III. Jus canonicum tradere perget bis per hebd. hora IX.
IV. De arte christiana disseret semel per hebd. hora def.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

I. Doctrinam dogmaticam de creationis divinae opere, de angelis deque hominis statu originali ac protoparentum lapsu exponet quinquies vel sexies p. hebd. hora X.
II. Linguae hebraicae grammaticam docebit, addens exercitia interpretatoria ter p. hebd. hora VIII. antemer.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Introductionem in studium theologicum dabit bis p. hebd. horis definiendis.
II. Prophetas minores interpretabitur ter p. hebd. hora VIII.
III. Evangelium secundum Johannem explicabit ter p. hebd. hora VIII.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O., h. t. Decanus.

I. De rerum naturalium divinaeque revelationis consensu disseret quinquies vel sexies per hebd. h. VIII.
II. Botanicen docebit horis def.
III. Geometriam analyticam tractabit horis def.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiae recentioris partes praecipuas tradet ter per hebd. hora XI.
II. Primordia et fata linguae theodiscae exponet bis per hebd. hora XI.
III. De Germanorum antiquitatibus disseret semel per hebd. hora XI.
IV. Selecta historiae antiquae capita critice tractabit hor. def.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Nullas lectiones habebit.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Inscriptiones christianas interpretabitur bis hebdomade hora IX.
II. Aeschyli Prometheum vinctum et de poesi tragica Graecorum disseret ter hebd. hora IX.
III. Exercitationes philologas instituet h. d.

Dr. Jos. Krause.

I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
II. Logicam et noëticam docebit ter per hebd. hora X.
III. Historiam philosophiae recentioris temporis enarrabit semel per hebd. hora X.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Killing.**